Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

fecerat. exeuntes obuiam tam uiri quam femine
laudabant et glorificabant dominum qui eis talem ac
tantum dignatus est concedere patrem. Reuertens autem
ad proprie functionis kathedram accersiuit ad se
prudentissimum uirum hyuentium. Non te lateat
aut fili karissime. tercio post me huius officii honorem per-
tingere. Confortare et uiriliter age. nec te terreat
perturbantium rabies. Admonensque eum de uniuer-
sis ecclesiasticis disciplinis. migrauit ad dominum. ex-
pletis cuncte uite sue octo ebdomadarum gemina-
tis recursibus. Cuius sancti corporis reliquias. conuentus fide-
lium populorum quos uenerabilis pater predicatione sua
domino acquisiuit. cum sacerdotali officio et copia
clericorum in basilica sanctorum martyrum Geruasii et Protasii
quam ipse construxerat. debito honore et summa di-
ligentia credidere. Post cuius decessum pompeius quem
ipse gradu diaconatus sublimauerat. simplicitate
et humilitate preclarus. eius sedis est infulas assecutus.
Cuique paucos atque pacificos agens annos migrauit.
Postquam beatus hyuentius dum peteretur ad suscipiendam
curam pontificii occultari maluit. tanto se indignum
honore iudicans. Sed latere aut declinare non ualuit.
denuntiata sibi a patre pontificalis dignitatis
insignia. Dumque per aliquantum temporis apud lau-
densium urbem confugiens delituisset. diligentis-
sime inquisitus a populo tycinensis urbis repertus
et coactus papiam reducitur. et ecclesie conuentui presentatur.
Qui summa ui sacerdotale culmen suscipiens. gratissi-
me plebi cleroque aptatur. Beatissimi uiri hyuentii
patris ac nutritoris sui syri sequens uestigia. co-
piosius in dei laudibus. in orationibus. in ieiuniis. uigi-
lisque assiduus persistens erat pauperum munerator.
uiduarum ac pupillorum defensor. Nam quedam uidua
dum a quodam creditore durius opprimeretur. atque
crudelis nummularius duplum pecuniarum ab ea exi-
geret quam dedisset. ad uirum dei patrocinium confugiens
misericordiam postulauit. Cognito uir dei hoc negotio
diaconem suum nomine exuberantium. cum eadem
uidua ad eundem creditorem direxit dicens. Vade
ad eum qui hanc uiduam crudeli exactione opprimit.
et admone eum uice mee postulationis dicens. Pater
tuus rogat. sufficiat tibi quod tuum est. nec exigas
quod non dedisti. ne id quod habere uideris amittas.
Si autem te audire noluerit. ecce do tibi summam pecunie
porrige ei et reuertere. Implens autem diaconus iussa
antistitis. iuit cum ea atque uniuersa que ei iniuncta
fuerant auaro creditori per ordinem retulit. Sed in-
mutare eum a prauitate cordis nullatenus potuit.
Mox autem ut aureos quos uir dei pro uidua miserat ex-
cepit. corruens in terram expirauit. Factusque est
timor super omnem circa regionem atque incredulos
qui hec audiebant. christi uero fideles letantes glorifica-
bant dominum ihesum christum.
Alio quoque tempore dum quidam exactoribus
fisci fluenta transmeare. uellet tycini deportans
secum talentum pecunie arreptus a fluminis unda
corruit. dimersusque sub aquis omnem illam auri
pecuniam amisit. ipseque semiuiuus euadens.
cum recognouisset se amisisse pecuniam multa
tristicia afflictus. concitus ad uirum dei cucurrit. hy-
uentium dicens. Nisi me tua merita liberent
pater. mortis supplicio subiacebo. Cui uir dei. quid
est inquit quod tristicia affligeris fili. Publicanus ait.
dum transmeare tycini alueum. in eisdem fluminis
fluctibus pecuniam perdidi. Cui uir dei. illuc ubi
amisisti pecuniam me ducito. Cumque ad locum
peruenisset. ait beatus hyuentius. Tibi dico aqua
in nomine domini nostri ihesu christi qui pedibus super te
ambulauit. ne retineas pecuniam. pro qua affligitur
homo iste. Continuo autem uasculum quo pecunia
erat recondita. super aquas natare cepit. et undarum
pulsibus reuocata ad uiri dei uestigia in loco quo
stabat applicuit. Quam uir domini apprehendens. re-
stituit tribulanti. Dignus imitator helysei qui
ex iordanis gurgite coram oculis filiorum prophetarum.
ferramentum quod in eum dilapsum ceciderat super
aquas natare fecit. missoque in undis manubrio quod
amiserat merenti restituit. Quod quoque miracu-
lum omnis qui aderant dum uidissent. gratias egerunt
deo qui tanto suis fidelibus presto esset in orationibus suis.
Beatissimus uero hyuentius spiritalibus inflammatus
desideriis. ambulans de uirtute in uirtutem
mediolanum perrexit. propter seuientium contumaciam
paganorum. Quam urbem dum ingredi cepisset mi-
nistri demonum annisu ingenti conabantur ei
resistere dicentes. resipisce ne urbem deludas
sicut alii tui complices. ne et tu similiter puniaris.
Et ceperunt eum uariis tormentis afficere. Vir
autem domini eleuans oculos in celum dixit. Domine ignos-
ce illis. quia ignorantia pleni sunt. Sed quia dat dominus
uerbum euangelizantibus uirtute multa. eadem hora
procellosa turba emicuit. et fortissima super eos
grando descendens. capita. brachia. et ossa ini-
micorum ueritatis ualidissime contundebat. neque
aliquis eorum ex tanta tempestate ualebat confugere.
Sed fixis stantes uestigiis. ictibus inmense grandinis
fundebantur. Tandem reminiscentes prauitatem
reatus sui clamare ceperunt. Sancte uir hyuenti
pater et domine. libera nos ut non in tali pena moria-
mur. et credimus in eum quem tu credis et predicas.
Orante autem beatissimo hyuentio. mox ab eis re-
cessit tempestas. Cuique tali supplicio liberati pe-
dibus eius se pronius prosternentes. postulabant ut
baptismatis undam mererentur percipere. Et quia ad
hoc miraculum multi concurrerant. omnis cum
eis ab eo baptizati sunt. In qua urbe moram faciens
beatissimus uir apud fideles christianos. clerum
et sacerdotum ordinans. papiam regressus est.